Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-257356-p0001-0

1797, 2

22

FACVLTATIS IVRIDICAE

DECANVS

IO. IVSTINVS WEISSMANTEL,

ICtvs

MEMORAT. FACVLTAT. ASSESSOR, PANDECTAR. P. P. O.
ET CIVITAT. ERFORDIENS. CONSVL SEN.

SOLENNIA INAVGVRALIA

NOBILIS AC CLARISSIMI IVRIVM
CANDIDATI

Dn. IOHANNIS CHRISTIANI REDDERSEN,

NORDHEIMENSIS,

SVPREMOR. TRIBVNAL. MAGNAE BRITANN. REGIS ET ELECTOR.
BRVNSVIC. LVNEB. ADVOCATI IMMATRICVLATI

INDICIT,

SIMVLQVE

DE SERVITVTE, PRAEDIO SVB LEGE RETROVENDITIONIS POSSESSO, ADQVISITA,

QVAEDAM PRAEFATVR.

DIE V. DECEMBRIS MDCCXCVII.

ERFORDIAE
Typ. IOAN. CHRIST. GOERLING, Acad. Typogr.

§. 1.

Emtorem, qui rem aliquam sub retrouenditionis lege adquisiuit, eius rei fieri dominum, omniaque ex dominio profluentia iura, proprietatis nimirum, et inde descendentis iuris de substantia rei disponendi, reque vtendi fruendi, ex sua emtione et subsecuta traditione consequi, notissimi iuris est, nec operosa allegatione indiget. Sed eo tendit pactum de retrouendendo interpositum, vt, pretio a venditore iterum oblato, emtor eiusque heredes venditori eiusque heredibus rem restituere teneantur. Continet igitur retrouenditio, nouam venditionem, qua emtor, rem a se iure dominii possessam, iterum venditori et autori suo, pro pretio vero, certo et iusto vendit, nouusque ideo, dum res retrouenditur, contractus celebratur, qui a reliquis venditionibus in eo solum differt, quod hae libera voluntate peragantur, cum nemo ad emendum vendendumue cogi possit, in retrouenditione autem necessitas rem iterum vendendi ex pacto descendat, ita vt nequidem resolutio prioris emtionis fiat. Conuentiones enim semel perfectae et consummatae, per contrarias non tolluntur, et NERATIVS a) recte monet: *Quod conuentione vt tu, quod iam ego tibi praestiti, contra praestare mihi cogaris, non tam hoc agatur, vt a pristino negotio discedamus, quam vt nouae quaedam obligationes inter nos constituantur.* Adeo vt et eam ob caussam iterata laudemia, aliaque onera, fisco ob venditiones rerum immobilium praestari solita, veniant in retrouenditionis casu, perinde ac si repetita, alienatio b) incidisset.

a) L. 58. ff. de Pact.
b) VOET ad Pand. Lib. VI. Tit. III. §. 31. et Lib. XVIII. Tit. III §. 7.

§. 2.

Quonam autem pretio res in retrouenditione veneat, si hoc conuentione definitum non sit? leges nostrae quidem non determinant, interim tamen id ex analogia c) et exinde, quod agatur de noua venditione, facile liquet. Omnis

venditio enim iustum, verum et certum pretium desiderat. Vt tamen pro iusto illud habere queamus, ad valorem rei, quam tempore contractus habuit, respicere necessum est. In retrouenditionis casu igitur res, si pacta deficiunt, secundum praesens pretium, mediante taxatione eruendum, iterum vendenda est [d]).

c) Prouocant ad L. 62. §. 29. de Furt. L. 38. de R. V. L. 3. C. de Iur. Emph. L. 5. C. de locat. praed. ciuil.

d) Berlich Part. II. Concl. 2. num. 30.

§. 3.

Saepe vero in eruendo pretio praesente circa meliorationes et accessiones rei ipsius dubia suboriuntur. Indubitati quidem iuris est, reemtorem et ad harum resarcitionem teneri; Ipsique nisi velit patientiam tollendi praestare [e]), vt impensas vtiles in rem ipsam factas, quibusque res ipsa melior existit, resarciat, incumbere [f]). Sed si casus sit, quod reemtor meliorationes rei acceptare, earumque pretium pro augmento pretii rei principalis nolit admittere, illae vero per rei naturam tolli non possint, tunc non immerito, quonam iure, quaue iniuria hoc fieri possit? quaeritur.

e) L. 37. et 38 ff. de R. V. Mvller ad Struv. Exerc. XXIII. §. 45. not. k.

f) Leyser sp. 91. med. 14.

§. 4.

Ponamus, vt res clarior fiat, quod emtor, dum praedium possidet, ipsi acquisiuerit seruitutem, eoque commodiorem aut iucundiorem praedii conditionem effecerit, eiusque valorem adauxerit. Postea intrat suo iure vsurus reemtor, qui quidem pretium rei offert, sed augmentum pretii ob seruitutem adquisitam, cum seruitute ipsa, sibi fortassis non proficua, recusat; Retrouenditor vero et huius restitutionem vrget, quia, cum seruitus sine praedio non intelligatur, ideoque nec tolli, nec ex alio praedio exerceri possit, procul dubio damnum incurreret, si seruienti domino illam remittere cogeretur.

§. 5.

§. 5.

Doctores nostros, si ea de re consulimus, in varias discessisse partes deprehendimus. TIRAQVELLVS g) reemtorem a refusione omnium omnino impensarum vtilium, ideoque etiam a refusione pretii pro seruitute praedio adquisita, absoluit. ANTONIVS FABER h) econtra illum sine discrimine vllo ad vtiles impensas, adeoque etiam ad refusionem huius pretii condemnat, adeo, vt quamuis seruitus titulo lucratiuo sit adquisita, et huius pretium in aestimationem venire, et refundendum esse velit. TIRAQVELLVM quidem LEYSERVS i) refutauit; sed vt FABRI opinio curatius examinetur iam restat.

g) de Retract. conuent. §. VII. Gl. 7.
h) de errorib. Pragmat. Decad. XXIII. Err. V. n. 7.
i) Sp. 191. med. 14.

§. 6.

Rem ideo si curatius perpendimus, dubia quidem sese offerunt 1) Emtorem, qui lucratiue aut vilissimo forte pretio seruitutem adquisiuit, nullum exinde damnum pati, si illam seruitutem gratis iterum dimittit; 2) iniquam conditionem alteri per alterum inferri non posse, id vero contingere, si reemtor contemnaretur, ob factum retrouenditoris, maiori pretio rem redimere, quam ipse vendidit. Hocque eo magis 3) si conditio seruitutis ea sit, vt reemtori pro sua conditione vel inutilis sit, vel ad voluptatem solummodo spectet, adeoque quod exinde locupletior non fiat, contendat.

§. 7.

Tanti tamen ponderis non sunt eae rationes, vt ideo moueamur ad absoluendum reemtorem a solutione pretii istius. Emtor enim dum tenet rem emtam, est verus dominus eius, ipsique adquiruntur omnes indistincte accessiones k) neque venditori, ex pacto retrouenditionem vrgenti, sunt restituendae, nisi aestimationem earum soluat l), aut pro tali accessione emtori satisfaciat m). Nec mouet in contrarium, eiusmodi emtorem solummodo dominum reuocabilem esse. Dominus enim reuocabilis nihilominus est

dominus plenus, et accessiones pari iure ad eum, ac ad quemlibet alium plenum dominum spectant n). Nouum etiam in iure nostro non est, quod is, qui reuocabiliter rem tantum possidet, impensas tamen vtiles repetat, quamuis vtilitas casu fuerit intercepta. Sic maritus in re dotali, et conductor in re locata o), vt reliqua taceam.

k) §. 20 sq. I. de rer. diuis. L. 9. §. 2. ff. de damn. inf.
l) MENOCH Lib. I. Cons. 26. m) FACHIN. Lib. II. Controu. 6.
n) L. 66. ff. de R. V. GAIL. Lib. II. Obs. 139. n. 15.
o) L. 55. §. 1. Locati.

§. 8.

Nec mouet, si forte ista accessio ex lucratiuo titulo, vel etiam minimo pretio facta sit. Fructu enim liberalitatis nemo absque iniuriae nota priuandus est. Nec liberalitatem, quam ad emtorem pertinere voluit concedens, ad venditorem transferre aequum est, potius illa illi soli, qui eam acceptauit, non tertio, prodesse debet. Extensio enim de persona ad personam non, etsi de liberalitatibus quaeritur, admittenda est. Nec mouet porro, quod de duriore conditione reemtoris obiicitur; Nemo enim duriorem conditionem in eo deprehendet, cum predium retrouendendum ex seruitute factum est iucundius et pretiosius. Sit ita, vt maiori pretio, quam ipse acceperat, debeat redimere reemtor, exinde tamen non laeditur, cum pretio pro nunc iusto rem redimit; et scire debuit, cum venderet, sibi id in retrouenditionis casu imminere, remque pretio interim aucto, in maiori pretio redimendam fore. Emtor quippe dominus est, omnesque accessiones, consequenter et earum pretium sibi adquisiuit, quod igitur ipsi non est eripiendum. Consensisse praesumendus est venditor in pretium per accessiones, quas emtor parauit, adauctum; qui enim consentit in negotium, consentit quoque in ea, quae ex hoc necessario sequuntur. Venditor igitur qui tradidit dominium, consentit etiam in accessiones rei, ab emtore parandas, ideoque et in maius rei pretium, ob accessiones adauctum, ideoque de iniuria conqueri nequit. Accedit, quod et minor volens recuperare praedium per curatores venditum,

tenea-

teneatur emtori praestare omnes impensas, quas bona fide factas probauerit p). Quidni ergo ad idem obligatus esset venditor, sub pacto reluitionis rem suam distrahens?

p) L. 39. §. 1. ff. de Minor.

§. 9.

His non obstat, seruitutem siue aliam accessionem re-emtori pro sua conditione inutilem esse. Incertus enim futurae retrouenditionis emtor, prohiberi ideo non potest, rem suam quibuscunque possit modis, meliorem facere, quam scit esse suam, nec vnquam fortassis fore alienam credit. Venditori potius imputandum est, quod in vendendo circa rem, quam sibi retrouendi pactus est, legem non dixerit apertius, expressaque conuentione adhibita, ne liceat emtori, se inscio vel inuito seruitutem aliquam adquirere, aut aliud quidquam in ea re moliri, quod redemtionis caussam posset facere difficiliorem, cauerit. Sin vero hanc omisit cautelam, sentiat et damnum, quod sua culpa sentit, ideoque sentire non videtur.

§. 10.

Sed merito, vt vobis quidem videtur, limitanda est haecce decisio 1) in mere voluptuariis, quae speciem duntaxat ornant, non etiam fructum aut pretium rei reuera augent q). Veluti si seruitus ne prospectui officiatur adquisita sit. Quippe circa haec solum ius tollendi competit domino reuocabili titulo possidenti r), ideoque et retrouenditori; idque in casu seruitutis substrato, plane cessare debet, cum seruitus tolli non possit, ideoque debeat derelinqui. Deinde 2) si constet, pretium immoderatum et maius pro comparanda eiusmodi seruitute ab emtore maligne impensum esse, eumque alio modo in fraudem reluentis, vt studio eius conditionem duriorem reddat, egisse, tunc certe non recuperabit id quod impendit, eoque recte frustrabitur s). Tandem 3) si pretium immoderatum reluentique nimis onerosum, absque tamen fraude, impensum est, id iudicis arbitrio subiacet, qui curare debet, ne neuter fraudetur,

detur, quique ex circumstantiis temporis, loci et rei melioratae ipsius, ex aequo et bono id aestimabit t).

q) L. 79. §. 2. de V. S.
r) L. 9. ff. de Impens. in rem dotal. L. VII. §. 5. in fin. C. de rei vx. act. LEYSER sp. 191. med. 16.
s) arg. L. 10. §. 1. ff. de negot. gest. GAIL. Lib. II. Obs. XII. n. 6. PEREGRIN. de Fideicommiss. Art. 50. n. 33.
t) arg. L. 7. et 8. ff. quae in fraud. Cred. L. 25. ff. de Pignorat. act.

Ne autem limites paginae transgrediar, me conuerto ad Eum, qui huius ausam praebuit. Est is

Nob. ac Clariss. Dominus IOHANNES CHRISTIANVS REDDERSEN, Nordheimensis, Tribunal. Magnae Britann. Regis et Elector. Bruns. Lunenb. Advocat. immatriculat.

qui de vitae suae ac studiorum laudabili ratione sequentia nobis retulit:

Ego Iohannes Christianus Reddersen natus sum Nordheimii, Anno 1770. die 6. Maii. Patre Viro Praenobiliss. F. C. REDDERSEN, patriae ciuitatis Consule, et Auditore militari meritissimo. Humanioribus litteris in schola Nordheimensi et postea Goettingensi imbutus ad Georgiam Augustam adscendi, ibique Celeberrimorum Antecessorum praelectionibus per integrum triennium interfui. Postea a Magnifico Georgiae Augustae Prorectore, S. Palat. Caes. Comite, ad Munus Notarii publici admissus sum, nec non examine praeuio a summo Tribunali, Magnae Britann. Regis et Elect. Brunsuic. Luneburg. receptus sum in Aduocatorum numerum.

Petiit nunc, vt Ipsi ab ordine nostro summi in Iure vtroque honores doctorales decernerentur. Praestitis igitur speciminibus, et laudabiliter probata scientia iuris, submissaque publicae eruditorum disquisitioni Dissertatione inaugurali

De Onere Probandi in Actione Negatoria et in specie si Reus in quasi possessione seruitutis praetensae constitutus sit.

Ordo noster petito tam laudabili esse annuendum nequaquam dubitauit, illudque pro solito more publicandum esse decreuit. Quod igitur factum sub sigillo Facult. Iurid. die V. Decemb. M.DCC.XCVII.

(*L. S.*)

Erfurt, Diss., 1783–1801 I

X 238 6945

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-257356-p0014-2


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-257356-p0015-8

1797, 2

FACVLTATIS IVRIDICAE

DECANVS

IO. IVSTINVS WEISSMANTEL,

JCTVS

MEMORAT. FACVLTAT. ASSESSOR, PANDECTAR. P. P. O.
ET CIVITAT. ERFORDIENS. CONSVL SEN.

SOLENNIA INAVGVRALIA

NOBILIS AC CLARISSIMI IVRIVM
CANDIDATI

DN. IOHANNIS CHRISTIANI REDDERSEN,

NORDHEIMENSIS,

SVPREMOR. TRIBVNAL. MAGNAE BRITANN. REGIS ET ELECTOR.
BRVNSVIC. LVNEB. ADVOCATI IMMATRICVLATI

INDICIT,

SIMVLQVE

DE SERVITVTE, PRAEDIO SVB LEGE RETROVENDITIONIS POSSESSO, ADQVISITA,

QVAEDAM PRAEFATVR.

DIE V. DECEMBRIS MDCCXCVII.

ERFORDIAE
TYP. IOAN. CHRIST. GOERLING, ACAD. TYPOGR.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-257356-p0016-3